Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nominis cognitione desideravimus. tu nostri corporis sacrificium acceptum habere dignare. suscipe nos sicut oves occisionis. ac sancte matris tue ecclesie. quoniam vis minimas in celis coniunge. Suscipe spiritum et animas nostras quas in manus tuas domine nunc per merita et orationem sancti servi tui blasii commendavimus. qui primus nos ad tue veritatis cognitionem et tui nominis confessionem perduxit. Puerulos quoque hos fac sancti martyris tui solatium habere. et simul cum eo ad tuam misericordiam pervenire. christe deus noster. qui cum patre et spiritu sancto vivis et regnas per omnia secula seculorum. Cumque pueri respondissent amen. mox a spiculatoribus pro christo sunt decollati. et proprio sanguine coronati. pro quo passi sunt ad dominum migraverunt.

I Post hec beatus martyr Blasius iterum a carcere revocatur. iterum ad audientiam exhibetur. iterum tormentis subicitur. Nam tercia iam sessione preses sibi tribunal preparari precepit. Ubi cum sanctus blasius fuisset adductus. preses dixit. Ad hoc te Blasi isto tempore distuli ut aliquid circa salutem tuam tractares. Si ergo aliquid quod ad utilitatem tuam pertineat. ac dilatione deliberasti. accede vel sero et sacrifica diis. Quod si non feceris. iam te diutius non feram. Sanctus dei martyr dixit. Cecitatis tue tenebras preses non satis admirari queo. Miror quod propter te lumen quod a christo est. et in omnibus patet non vides. Si enim verum lumen videres. nequaquam idola adorares. Si verum lumen vidisses. ligno. lapidi. eramento. argento. et auro. diceres deus meus. Quis namque nesciat opera manuum hominum deos non esse? Si hec deos non esse nescis. mitte in ignem. et cum ligna conflagrata. lapides dirupti. era. argentum. et aurum conflata fuerint. tunc esse vera que dixi comprobabis. Sed iam scio quod michi propter veritatis rationem preparas tormenta. quanquam que vis tormenta. que vis exerceas in me supplicia. ego nichil horum christo meo confortante timeo. Siquidem corpus meum in potestate habes. animam autem non potes habere. Sic enim ipse christus dominus meus dixit. Nolite timere eos qui corpus occidunt. animam autem non possunt occidere. sed potius eum timete. qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Potens est enim ipse cui servio. qui in celis est deus. et corporaliter me si vult liberare de ma-

II nibus tuis. Preses dixit. Et quomodo te christus tuus ut dicis deus eruere potest. si te in stagni profundum dimergi precipiam? Beatus Blasius dixit. Stulte et cece tu ydola immo demones adoras. et tamen eos in tuis necessitatibus invocas. et auxilium ab eis speras. et ego vero deo nolo diffidere. nunquam de eius adiutorio desperare. Et enim si dii tui quos dicis ibidem dimersi. inde emergi non potuerunt. christus tamen deus meus et iam in hoc elemento suam tibi virtutem ostendere potest. Neque enim est in aquarum substantia virtus eius insueta. Nam ut omittam quod aquis per spiritum sanctum nostra peccata abluuntur. et ipse in corpore positus super undas maris tanquam super terram ambulavit. et eundem apostolum petrum pendulis super aquas vestigiis ad se venire precepit. Unde quod apostolo concessit. et in servorum suorum minimo concedere potest. His dictis cum preside simul et innumera populi multitudine venit ad stagnum. Cumque dominica cruce aquam signasset. mox ad sustinenda eius vestigia tanquam arida effecta est. et veluti intra ita per aquas ipsas. quasi currens venit in medium stagni. ubi residens in presidem et omnem simul adstantem populum allocutus est. Si est in diis vestris aliqua potentia. vel si vobis in eis aliqua confidentia. et vos aquas introite. et in nomine eorum super aquas ambulate. ut ita demum veram

virtutem eorum ostendatis. Ad hec sancti martyris verba octoginta viii. viri auxilium deorum invocantes. aquas audacter ingressi. mox in profundum dimersi sunt. Angelus domini descendit autem de celo. et lux simul super eum inenarrabilis refulsit. et omnis populus qui astabat. lumen quidem videre poterat. sed angelum pre nimio fulgore non cernebat. Angelus vero ad beatum martyrem dixit. Egredere iam gloriose. et ad coronam tibi a deo preparatam festina. Tunc surgens. iterum super aquas ipsas tanquam super terram ambulavit. Cumque de stagno egressus esset. omnis populus qui aderat in luce que apparuit super eum. et splendore vultus eius admirabatur. preses tamen tot miraculis visis. nec ad parcendum martyri flecti. nec ad credendum potuit adduci. Denique convocato eo dixit. Iam video Blasi quod decrevisti ut in obstinatione tua perdures. et deos non adores. Unde me scias decrevisse. ne tibi parcam. sed ultimam vite sententiam feram. Tunc iratus dictavit sententiam in hunc modum dicens. Blasius qui me contempsit. et imperiali precepto contradixit. deosque inhonoravit. et insuper octoginta viii. viros aquis dimersos interfecit. simul cum duobus puerulis

quos magicis suis decepit. capite truncetur. His IIII

sanctus martyr auditis. de sui agonis fine iam securus. et domino gratias agens. una cum spiculatore et pueris ad locum sue decollationis prestitutum properare cepit. Ubi cum pervenisset. et orandi facultatem a spiculatore nactus esset. flexis genibus et corde simul ac manibus. oculisque ad celum elevatis in hunc modum oravit. Domine deus meus qui me de ydolorum errore ad tue religionis cultum revocasti. christe qui lux es. et omnem hominem venientem in hunc mundum illuminas. mee quoque ignorantie tenebras illuminasti. deus virtutum omni[illegible]um celestium qui sedes super cherubin. et cataractas celi aperiens. das pluviam super faciem terre et insignum fedis